

nedicto XIV, constitut. incip. *Militantis*, § 3, ubi statuitur, ut in officii divini Breviario in festo S. Leonis Papæ, et confessoris, antiphona ad *Magnificat* in utrisque vesperis ponatur ea, quæ incipit, *O doctor optime*; in missa autem dicatur Introitus in medio *Ecclesiæ*; et post collectam subsequatur lectio libri *Sapientiæ*: *Justus cor suum tradet*, cum graduati, ut in communi doctorum; post Evangelium vero dicatur *Credo*; reliqua, ut in consueta missa de sancto Leone.

(110. * Sacerdotibus latini ritus in Russia Polonica degentibus, tam presentibus, quam futuris conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis, missam celebrent super Antimensiis Ruthenorum unitorum. Ritu tamen latino sacrum agere istis injunctum est. Sunt Antimensia hintei quidam episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis sanctorum reliquiæ reconditæ sunt. Bened. XIV, const. 43, incip. *Imposito nobis*.

(111. Commentitia est distinctio inter rubricas præceptivas, et instructivas, sed omnes sunt præceptivæ, licet aliquæ ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligent Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 13, § 3.

(112. Nulla urgente causa, leve est peccatum celebrare missam privatam non recitatis Matutino, et Laudibus. (Vide verb. MATUTINUM, a n. 19 ad 23.) At si de missa conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante Matutinum, et Laudes eam celebraret, nempe ante eam partem officii in choro celebratam. Sicut et peccato gravi se obstringeret, qui perpetuo, et quasi ex animo statuisset, nunquam missam celebrare, Matutino cum Laudibus recitato. *Ibid.*, § 4.

(113. Si contingat ut sacerdos, dum missam celebrat, subito morbo corripiatur, vel mortuus concidat, vel hoc accidat ante consecrationem, nec tunc opus est missam ab alio continuari; si vero post consecrationem unius, vel utriusque speciei, tunc supplenda est missa, et quidem ex præcepto a sacerdote, initio inde sumpto, ubi alter desiit, et si prior ille sacerdos adhuc vivat, et capax sit sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est, ut ex rubricis *Miss.*, *ibid.*, § 4 et 5.

(114. Sacerdos missam suppleturus præstare id potest, si alius non adsit, etiamsi non sit jejunos, quin etiam si in statu gratiæ non versetur; tunc enim quærendus ab illo est confessarius, et si non reperitur, eliciendus est actus contritionis, atque ita comparatus missam perficiat. At si neque centeri possit, neque missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia et calix reponeudi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex rubricis et DD. *ibid.*, § 7 et 8. Ex hoc conficitur, quod laico, si fuerit præsens, hostia illa, et calix dari non potest, *ibid.*, § 6.

(115. Si sacerdote missam celebrante vio-

letur, vel polluat subitò templum, ante inceptum canonem, missa intermittenda est; eo vero incepto, perficienda; ut ex rubricis; *ibid.*, § 12.

(116. Si, dum celebratur, incidat subita irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem, deservenda est missa: post consecrationem, sumendum statim sacramentum, omissis aliis cæremoniis. Si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest sacerdos hostiam statim sumere, et abire, nisi forte in casu, quo Christianæ religionis hostes in contemptum ejusdem religionis minitentur sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat. *Ibid.*, § 14.

(117. Superveniente excommunicato non tolerato, missa, si nondum perventum est ad canonem, vel ut quidam volunt, ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est, post consecrationem perficienda. Sed sumpta communionem, reliqua perficienda sunt, vel in sacristia, vel in alio loco decenti. *Ibid.*, § 14.

(118. Rite pariter interrumpitur missa, etiam interruptione longa vel ad baptizandum infantem moriturum, qui alioqui sine baptismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret; vel etiam, ad extremam unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset a sacerdote, ut sacramentum interim diligenter custodiatur, et cum redierit, resumenda missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa. *Ibid.*, § 15.

(119. Si recitatus jam Evangelio, et Symbolo, superveniat vir princeps, sive laicus, sive ecclesiasticus qui missam die festo non audierit, negant plures doctores posse ex integro missam resumere. *Ibid.*, § 16.

(120. Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem missæ non sunt obligandi sacerdotes, si parochi, seu episcopi censuerint præstare, ut hæc administratio fiat in altari, ubi adservatur SS. eucharistia extra missam. Encyclica ad episcopos Italiæ incipit. *Certiores effecti*.

(121. Sacerdotes sæculares in ecclesiis regularium illorum missam legere vetantur, sed utendum est illis Missali Romano, ita tamen, ut possint de sancto, de quo regulares illi agunt officium, missam recitare, eam desumendo ex communi Missali Romano, ut pro capellanis, et confessariis monialium decrevit S. congregatio, Clemente XI decretum approbante, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 23, § 1, et *Instit. eccles.*, inst. 34, § 20.

* (122. Sacerdotes tamen sæculares celebrantes in ecclesiis totius ordinis S. Augustini possunt recitare missas proprias sanctorum illius ordinis, ut ex rescripto sanct. mem. Clementis XIV, 18 Junii 1773, per secretariam supplicum libellorum edito; et SS. D. P. Pius VI eamdem facultatem concessit celebrantibus in ecclesiis ordinis Minorum S. Francisci 5 Sept. 1775; Carmelitarum Excalceatorum 14 Augusti 1777;

Carmelitarum antiquæ Observantiæ 2 Junii 1778, et in Ecclesiis totius ordinis S. Benedicti 12 Februarii 1780, per eandem secretariam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

123. Missa, ut monet etiam auctor num. 1, debet esse conformis officio diei, « nisi gravis causa excuset; » tum quia cap. *Quidem*, De celebr. missar., reprehenduntur sacerdotes, qui officio diei prætermissa frequentius celebrant missas, quas *votivas* dicimus; tum quia non semel a sacra Rituum congregatione prohibitum est quominus missæ votivæ in festis solemnibus, et duplicibus celebrentur.

(124. Dixi « nisi gravis causa excuset, » propterea quod in exsequiis ex. gr. præsentem corpore, debet missa de defunctis celebrari.

(125. Cautè vero intelligendus est auctor, dum eodem num. 1 ait: « Nisi pro aliqua causa et obligatione debeat legi votiva. » Ex his enim verbis videtur sequi, quod sacerdos, qui ratione beneficii, vel stipendii tenetur missam celebrare, ex. g. de beata Virgine, vel de defunctis, eam indistinctè celebrare queat diebus etiam Dominicis, et festis duplicibus. At non concurrente expressa voluntate fundatoris, recte monet Habert, *De eucharist.*, cap. 16, quæst. 1: « Sacerdotem, qui ratione beneficii vel stipendii tenetur missam celebrare de B. Virgine, seu de defunctis, posse, imò debere Dominicis et festis duplicibus sacrum facere de die; quia præsumitur fundator Ecclesiæ filius juxta matris præscriptum suam legatum instituisse. »

* Hoc ipsum diserte tradit Lucius noster, artic. proximo, num. 4, quod miror ab auctore additionum non fuisse animadversum*.

(126. Quid vero, si expressa sit voluntas fundatoris, ut festis etiam duplicibus celebraretur missa de B. Virgine, vel de defunctis; ita ut recurri nequeat ad dictam præsumptionem? Tolerari posse celebrationem missæ de B. Virgine, vel de defunctis, si festa illa simplicia non sint de præcepto, relato decreto S. cong. Rituum, tradit Pasqualig., *De sacrif. miss.*, tom. 1, qu. 249, num. 2.

(127. Major difficultas est, an id ipsum tolerari queat in feriis privilegiatis, et in diebus infra octavam, quibus cadunt etiam officia duplicia; negat mox laudatus auctor *ubi supra*, num. 3.

ARTICULUS XIII.

De observandis in missis votivis

SUMMARIUM.

1. Missa unde dicatur votiva? — 2. Missa, votiva licita est, si adsit rationabilis causa pro ipsa celebranda. — 3. Missæ votivæ private non possunt dici in festo duplici, etiamsi tale duplex esset translatum. — 4. Item nequeunt dici die Cinerum, septimana sancta, in vigilia Nativitatis Christi et Pentecostes, in vigilia Epiphaniæ, infra octavas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes, infra octavam Corporis Christi, infra octavam Nativitatis Christi, et in omnibus anni Dominicis. — 5. Votivæ solennes,

FERRAR. V.

et pro re gravi, et causa publica celebrari possunt etiam in festis duplicibus de præcepto, et Dominicis, exceptis Dominica prima Adventus, feria IV Cinerum, Dominica prima Quadrag., Passionis, et Palmarum usque ad fer. III Paschæ inclusive, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes, cum duobus festis sequentibus, Nativitate Domini, Epiphania, Ascensione, Corpore Christi, et omnibus solemnitatibus primæ classis. — 6. Res gravis pro licita missæ votivæ solemnem decantationem cum *Gloria*, et *Credo* ea est, pro qua convenit totus clerus cum episcopo; vel apud regulares in eorum comitiis generalibus, vel provincialibus, et cum cantatur missa pro re, eorundem iudicio, gravi. — 7. Item pro expositione 40 Horarum pro tempore cantatur missa votiva de SS. sacramento cum *Gloria*, et *Credo*, et unica oratione, exceptis Dominicis et festis 1 et 2 classis, ac feria 4 Cinerum, et feria 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, quibus diebus cantatur missa de officio currenti cum commemoratione SS. sacramenti sub unica tantum conclusione. — 8. Et si cantanda est alia missa, durante expositione, licet sit conventualis, debet cantari in alio altari. — 9. Neque in altari expositionis debent celebrari missæ private cujuscunque ritus. — 10. Et missæ private, si officium est duplex, debent celebrari de officio currenti cum commemoratione SS. sacramenti. — 11. Vel si non est duplex, votivæ de sanctissimo sacramento sine *Gloria*, et sine *Credo*. — 12. Sacerdos missam privatam celebraturus, dum transit ante SS. sacramentum, facta adoratione utroque genu, et aperto capite, surgens se cooperit. — 13. Missæ votivæ solennes pro re gravi, et causa publica canendæ sunt cum *Gloria* et *Credo*, nisi adhibeantur paramenta violacea, quia tunc debet omitti *Gloria* et *Credo*. — 14. Missæ votivæ nunquam sunt celebrandæ cum *Gloria* et *Credo*, nisi fuerint missæ angelorum, in quibus quotidie est recitandus hymnus angelicus; vel Missæ de B. M. V. in quibus quolibet Sabbato dici debet *Gloria*, sed sine *Credo*. — 15. In votivis dicitur semper psalmus *Judica*, et ad Introitum, et *Lavabo*, semper *Gloria Patri*, etc. etiamsi esset missa de Passione, etiam infra hebdomadam Passionis, licet hæc omnia omittantur in missa de tempore. — 16. Præfatio dicitur propria, si habeatur; alias dicitur de tempore, vel de octava, vel de communi. — 17. Quod procedit etiam infra octavam Nativitatis Christi, si votiva habeat præfationem propriam. — 18. *Communicantes*, et *Hanc igitur*, si votiva dicatur infra octavam, quæ illa habet propria, dicuntur de octava; et in fine dicitur semper Evangelium S. Joannis. — 19. Infra octavam non celebratur votiva de eo de quo est octava, sed dicitur missa festi conveniens officio cum *Gloria* sine *Credo*; quod si sit infra octavam B. M. V. et fiat officium de aliquo sancto, pro votiva de B. Maria Virgine, debet dici missa de octava, sed more votivo sine *Gloria* et sine *Credo*; nisi fuerit sabbatum, quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. — 20. Qui in sabbato recitat officium de B. M. V. si celebret votivam de aliquo sancto, non debet dicere *Gloria*, neque præfationem B. M. V. — 21. Ob missam votivam non est omitenda missa conventualis, neque potest introduci consuetudo in contrarium. — 22. Imò abrogatur consuetudo non cantandi missam in die ultra votivam. — 23. Et licet in illis ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi missam votivam de B. V. Maria singulis diebus sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari, etiam in sabbatis festo duplici impeditis; non est tamen omittenda missa conventualis, ad n. 24. — 25. Alia satis summarie referuntur, ad n. 36. — 37. Missæ votivæ an dici possint de beatis nondum canoniz. ad n. 39. — 40. Alia ad rem ad n. 49.

(1. Missa dicitur votiva non simpliciter a voto quo quis se obstringit ad talem missam

celebrandam, sed a voluntate qua se determinat, vel ex propria devotione, vel ad implendum desiderium alterius qui eam petit. (2. Et licita est, si adsit rationabilis causa pro ipsa celebranda, alioquin missa debet concordare cum officio, ut in *Rubicis Missalis* præscribitur. (3. Missæ votivæ privatæ non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum; sac. Rit. congreg. 5 Augusti 1662. (4. Item nequeunt dici die Cinerum, septimana sancta, in vigilia Nativitatis Christi et Pentecostes, 29 Augusti 1627; in Vigilia Epiphaniæ, 27 Aprilis 1698, et 10 Decembr. 1718; infra octavas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes, 28 Augusti 1627; infra octavam Corporis Christi, 21 Junii 1670; infra octavam Nativitatis Christi, 25 Septembris 1706, confirmat. 15 Sept. 1714; nec non in omnibus anni Dominicis, ut constat ex ipsis rubricis, in quibus dicitur posse solum celebrari missam votivam *aliis diebus infra hebdomadam*, hoc est a Dominica in Dominicam, quando non est duplex. (5. Votivæ autem solemnes, et pro re gravi, et causa publica celebrari possunt etiam in festis duplicibus de præcepto, et in Dominicis, exceptis Dominica prima Adventus, feria IV Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Passionis et Palmarum usque ad feriam III Paschæ inclusive, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes cum duobus festis sequentibus; Nativitate Domini, Epiphania, Ascensione, Corpore Christi, et omnibus solemnitatibus primæ classis. Quarti, part. I, tit. 4, vers. *Nota secundo*; aliique communiter, ut patet ex decretis relatis artic. sequent. n. 4. (6. Res gravis pro licita missæ votivæ solemnis decantatione cum *Gloria* et *Credo* ea est, pro qua convenit totus clerus cum episcopo; vel apud regulares in eorum comitiis generalibus, vel provincialibus; et cum cantatur missa pro re, eorumdem iudicio, gravi; 19 Maii 1607. (7. Item pro expositione 40 Horarum, juxta decretum ejusdem congr. 13 Februarii 1666, et instructionem de mandato Clementis XI pro tali expositione emanatam die 20 Januarii 1705, in qua disponitur, ut sequitur: « In expositione et repositione Ss. sacramenti pro oratione 40 Horarum cantatur missa votiva de Ss. sacramento cum *Gloria* et *Credo*, et unica oratione, exceptis Dominicis et festis 1 et 2 classis, ac feria 4 Cinerum, et feria 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, quibus diebus cantatur missa de officio currenti cum commemoratione Ss. sacramenti sub unica tantum conclusione. (8. Et si cantanda est alia missa, durante expositione, licet sit conventualis, debet cantari in alio altari. (9. Neque in altari expositionis debent celebrari missæ privatæ cujuscunque ritus. (10. Et missæ privatæ, si officium est duplex, debent celebrari de officio currenti cum commemoratione Ss. sacramenti; (11. Vel si non est duplex, votivæ de sanctissimo sacramento sine *Gloria* et sine *Credo*. » Sic præcipiente sanctissimo D. nostro. Vide tamen *infra*, n. 34, et verb. *ORATIO*, n. 31, ubi excipiuntur etiam alii dies pro missis

votivis cantandis ex nova instructione Clementis XII emanata, die 1 Septembr. 1730., et jam integre allata in tomo tertio verb. *EUCCHARISTIA*, n. 64. (12. Sacerdos missam privatam celebraturus, dum transit ante Ss. sacramentum, facta adoratione utroque genu, et aperto capite, surgens se cooperit; sac. Rituum congr. 7 Septembris 1638. (13. Missæ votivæ solemnes pro re gravi, et causa publica canendæ sunt cum *Gloria* et *Credo*, nisi adhibeantur paramenta violacea, quia tunc debet omitti *Gloria* et *Credo*: ex decreto 19 Maii 1607. (14. Missæ autem votivæ privatæ nunquam sunt celebrandæ cum *Gloria* et *Credo*, nisi fuerint missæ angelorum, in quibus quotidie est recitandus hymnus angelicus, vel missæ de B. V. Maria, in quibus quolibet sabbato dici debet *Gloria*, sed sine *Credo*; 15 Maii 1672. (15. In votivis dicitur semper psalmus *Judica*, et ad *Introitum*, et *Lavabo*, semper *Gloria Patri*, etc., etiamsi esset missa de Passione, etiam infra hebdomadam Passionis, licet hæc omnia omittantur in missa de tempore; 10 Februarii 1647. (16. Præfatio dicitur propria, si habeatur; alias dicitur de tempore, vel de octava, vel de communi; 28 Augusti 1607 et 16 Junii 1683. (17. Quod procedit etiam infra octavam Nativitatis Christi, si votiva habeat præfationem propriam; 28 Augusti 1627 et 16 Junii 1683. (18. *Communicantes* autem et *Hanc igitur* dicantur de octava, si votiva dicatur infra octavam, quæ illa habet propria: et in fine dicitur semper Evangelium S. Joannis, 20 Augusti 1627 et 16 Junii 1683. (19. Infra octavam non celebratur votiva de eo de quo est octava, sed dicitur missa festi conveniens officio cum *Gloria* sine *Credo*. Quod si sit infra octavam beatæ Mariæ Virginis, et fiat officium de aliquo sancto, pro votiva de B. M. Virgine, debet dici missa de octava, sed more votivo sine *Gloria* et sine *Credo*, nisi fuerit sabbatum, quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*; 2 Decembris 1684. (20. Qui in sabbato recitat officium B. M. Virginis, si celebret votivam de aliquo sancto, non debet dicere *Gloria*, neque præfationem B. M. Virginis; 2 Decembris 1684. (21. Ob missam votivam non est omittenda missa conventualis, neque potest introduci consuetudo in contrarium; 16 Jan. 1627. (22. Imo abrogatur consuetudo non canendi missam de die ultra votivam; 28 Augusti 1628. (23. Et licet in illis ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi missam votivam de B. M. Virgine singulis diebus sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in sabbatis festo duplici impeditis, non est tamen omittenda missa conventualis; 2 Decembris 1684. (24. Tenentur enim canonici omnino ad canendam missam de die, ut lucrentur distributiones; 28 Januarii 1612, et ex sacra congregatione Concilii in *Tusculan*. 10 Novembris 1652, et in *Civitate Castellana* 4 Martii 1690. (25. Missa votiva solemnis de B. M. V. potest cantari in die Dominico ratione concursus populi; sac. Rit. congreg. in *Aretina*

20 Novemb. 1662; dummodo tamen non sit Dominica privilegiata, vel ipsa non incidat in festo 1 et 2 classis, vel in octavis privilegiatis. Vide *Resolutiones sac. cong.* (26. Missa votiva solemnis de B. M. V. cum *Gloria* et *Credo* potest cantari in die Dominico ratione voti, seu alia causa; sacra Rit. congregat. in *Aretina* 16 Junii 1663. Id tamen locum non habet in Dominicis, et octavis privilegiatis, et in duplicibus primæ et secundæ classis; ut in numero antecedenti. (27. In ecclesiis ubi quotidie non cantatur missa, si occurrat festum patroni seu titularis diebus quibus non potest de eo fieri officium, potest nihilominus (diebus non exceptis a *Rubrica Missalis*, tit. 6, *De translatione*) cantari missa de patrono seu titulari, licet non cantetur altera missa non concordans cum officio; sacra Rit. congr. in *una ordinis Eremitar. S. Augustini*, 23 Aug. 1704. (28. In ecclesiis ubi titulus est ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum quod transferri debet diebus in quibus, juxta *Rubricas missalis*, t. vi, *De translatione festorum*, possunt cantari duæ missæ, una de die, alia de festo, si non est obligatio cantandi missam quotidie, cantari potest missa solemnis votiva de festo occurrente tantum; sac. Rit. congreg. in *Borgonen*. 17 Aug. 1709, apud Pitton., tom. II *Constitut. et decis. pro sacris ritibus*, num. margin. 1675, et observa num. hic immediate antecedentem sub 27 Aug. 1704 in *una ordinis Eremitarum S. Augustini*. (29. Missæ votivæ, quas ex obligatione capitulum tenetur per hebdomadam celebrare certis diebus præscriptis, in quibus multoties occurrit festum de præcepto, debent transferri in aliam diem non impeditam de præcepto; sac. Rit. congreg. in *Tarentina* 9 Decembris 1634. (30. Missa solemnis in Dominica infra octavam alicujus sancti, non debet celebrari de eodem sancto, licet de consensu ordinarii fiat processio ad eus Ecclesiam; sac. Rit. congr. in *Aretina* 24 Julii 1660. (31. Missa solemnis de S. Josepho, quando ejus festum incidit in feria 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, non potest cantari, etiam ob concursum populi, sed debet omitti, nec potest illis diebus fieri processio in ejus honorem; sac. Rit. congr. 4 Augusti 1663, in *una Urbis*. (32. Receptio ad habitum et professionem religiosam, sub re gravi numerari non potest, ut ex consuetudine cantari possit missa votiva solemnis etiam de Spiritu sancto, in Dominicis vel duplicibus, et hic abusus est omnino tollendus; sac. Rit. congr. in *Ruremonden*. 24 Julii 1683. (33. Non potest missa votiva de Spiritu sancto, vel alia celebrari etiam ab episcopo pro eligenda abbatisa in festo duplici, vel Dominica; sac. Rit. congr. 28 April. 1708. (34. Missæ solemnes, et pro re gravi, et causa publica non solum nequeunt cani in supradictis Dominicis, et duplicibus primæ

et secundæ classis, feria 4 Cinerum, 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, juxta instructionem pro expositione sacramenti ratione orationis 40 Horarum editam a Clemente XI, die 20 Januarii 1705, et a nobis allatam sub verb. *EUCCHARISTIA*, in fine; sed neque in omnibus diebus octavarum Paschæ et Pentecostes, in vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, et in die octava Epiphaniæ, ut colligitur ex eadem instructione confirmata et adducta sub §. 10 a Clemente XII, die prima Septembr. 1730, et allata a Merati, tom. I, part. II, tit. 14, in qua præscribitur quidem missa de sanctissimo sacramento votiva pro re gravi, sed excipiuntur expresse supradicti dies, qui non erant excepti in instructione prædicta Clementis XII, in quibus mandat cantari missam de officio currenti cum commemoratione Ss. sacramenti sub unica tantum conclusione. Unde si in dictis diebus non potest cantari votiva pro re gravi de sanctissimo sacramento, quod est majus, neque poterit cani alia votiva, quod est minus; arg. auth. *Multo magis*, cod. *De sacr. Eccles.* (35. Potest tamen in supradictis diebus cani missa solemnis in propria ecclesia de sancto patrono seu titulari, licet transferendo; quia allata Clementina instructio respicit solum missam solemnem simpliciter votivam: missa autem de patrono seu titulari, in casu proposito, non est simpliciter votiva, sed semifestiva, ut notant Quarti, Gavantus, Arnaud et alii apud Merati, t. I, part. I, tit. 4, § 7, et habet aliquid juris, et acquisiti, et acquirendi in propria sua die. Tum quia *Rubrica Missalis*, tit. 6, *De translatione festorum*, expresse sic habet: « In ecclesiis autem ubi titulus est ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ missæ, una de die, alia de festo; excepta Dominica prima Adventus, feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, et Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et festo Corporis Christi, » ubi, ut vides, non excipiuntur supradicti et similes dies: exceptio autem firmat regulam in non exceptis I. In his quæ 15, ff. *De instructo, vel instrumento legato*; cap. *Dominus* 16, caus. 32, qu. 7; cap. *Quoniam* 2, De conjugio leprosor., cum similibus; adeoque, vigore diætæ rubricæ, cantari poterit in dictis diebus non exceptis missa de titulari in propria Ecclesia; et ad id faciunt supra allata decreta sac. Rit. congr. sub num. 27 in *una ordinis Eremitarum Sancti Augustini*, et sub num. 28 in *Bergonen*. Tunc autem erunt cantandæ duæ missæ in ecclesiis quibus incumbit onus eas cantandi; sac. Rit. congreg. 28 Aug. 1628, 4 Maii 1686, et 5 Jul. 1698. De his omnibus vide *Resolutiones*, et *Decreta S. R. Congregat.* quæ in hac editione apposita sunt in tomo VIII. (36. Missæ votivæ de sanctissimo sacra-

mento, de B. M. V. cum cantu, fundatæ seu relictæ, et ordinatæ a benefactoribus, cantari non possunt in duplicibus, aliisque diebus duplicia excludentibus, sed cantari debent missæ de festo occurrente cum applicatione sacrificii, sicque satisfieri, et benefactorum mentem impleri resolvit, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, quam abusum esse declaravit sac. Rit. Congr. in Ruremunden. 24 Julii 1683, apud Henricum Pisarr. in *Exposit. Rubricar. Missal. Roman.*, part. 1, tit. 4, *De missis votivis*, sub n. 8, et Merati, *loc. cit.*, n. 463.

(37. An missæ votivæ dici possint de beatis nondum canonizatis, variant doctores; affirmativam sententiam tenent Castropalao, tract. 3, *De fide*, disp. 1, punct. 3, § 5, n. 7; Quintanadvenas, in *Theolog. moral.*, tract. 7, singul. 5; Megalius, in *Promptuario*, verb. *Canonizatio*; Tamburin., opuscul. *De sacrific.*, lib. II, cap. 6, § 8; Pasqualig., tom. I, *De missa sacrific.*, quæst. 277, n. 3 et sequent., et alii ab ipsis citati volentes posse dici missas votivas de dictis beatis a quibuscunque sacerdotibus in quibuscunque ecclesiis, et quibuscunque diebus, in quibus sint permissæ missæ votivæ, quia eo ipso, quod Sedes Apostolica concessit posse recitari missam de aliquo beato, quilibet recitans missam quacunque die, et in quacunque ecclesia in honorem dicti beati, id facit auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ abstulit impedimentum relatum in cap. 1, *De reliquiis et veneratione sanctorum*, ubi cavetur neminem esse venerandum sine auctoritate Apostolicæ Sedis.

(38. Negativam autem defendunt Quarti, in *Rubr. Missal.*, part. 1, tit. 4, dub. 6; Bissus, *lit. M.*, n. 231, § 26; Guyetus, l. IV, c. 21, qu. 2; Merati, t. I, tit. 5, § 2, n. 16, et alii dicentes non posse in honorem beati nondum canonizati dici missam extra diem assignatam, vel ab aliis personis, vel in aliis ecclesiis non expressis in diplomate beatificationis; asseruntque hanc sententiam communiorem esse et veram. Imo Quarti, *loc. cit.*, et alii volunt esse communem. Et ratio est quia ex cit. cap. 1, *De reliquiis et veneratione sanctorum*, nemini licet aliquem venerari cultu publico absque licentia Sedis Apostolicæ; in nostro autem casu non est concessa licentia, nisi determinatis personis, et pro diebus et locis etiam determinatis, adeoque non licet prædictos limites excedere; alias, si liceret, frustra et inutiliter apponeretur prædicta determinatio et limitatio personarum, dierum et locorum, quod non est dicendum; tum quia vis privilegii seu concessionis non pendet solum a causa, sed præcipue pendet a libera voluntate concedentis, qui non intendit concedere, nisi id quod exprimit, adeoque in casu nostro non potest dici missa, neque ab aliis personis, neque in aliis diebus in bulla non expressis, quia non licet excedere, præsertim in missa, limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ, ex decreto sac. Rit. congreg. 3 Octobr. 1653, relat. inter. *Resolutiones sac. Congr.* (39. Quæ sententia, ut conformior

decretis et menti Sedis Apostolicæ, est tenenda. Et ad summa non posset sequi prima sententia quoad hanc partem, nempe posse dici missas votivas de beatis non canonizatis ab illis personis quibus a Sede Apostolica est concessa de dictis beatis missarum celebratio, quia tales personæ, maxime in locis concessis, non viderentur exhibere illis cultum diversum ab eo quem concessit Sedes Apostolica; sicque non viderentur contravenire decretis et menti dictæ Apostolicæ Sedis, nisi forte talis concessio esset expresse restricta ad solam eorum diem festivam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(40. Quæri hic potest an missæ assignatæ certis diebus aut festivitibus possint in aliis diebus tanquam votivæ celebrari?

(41. Missas de comm. celebrari posse per annum in honorem eorum sanctorum, de quibus licet missas celebrare, non est quod controverti queat, idque quia cum sint eæ applicabiles pluribus sanctis, ita etiam pro quolibet tempore applicari possunt.

(42. Quinimo id ipsum locum habet quoad sanctos quorum missa in Missali est propria quoad aliquas preces, propterea quod ita ea est ordinata ad celebritatem illius sancti, ut convenire etiam possit cuicunque commemorationi ipsius, qualis est quæ sit in missa votiva. *Vide* Alcozer., tract. 1 *Cærem.*, gloss. 14; Castal., lib. II *Cærem.*, sect. 9, cap. 4, n. 1.

(43. Difficultas itaque est de missis dierum mobilium, festorum B. M. Virginis, et similitus. Hasce autem missas tanquam votivas celebrari haud posse, communiter præter mox allegatos tenent Gavanti, in *Rubr. Missal.*, part. IV, tit. 17, n. 8; Quarti, in *Rubric. Missal.*, part. I, tract. 3, dub. 5; Avers., quæst. 11, *De eucharistia*, sect. 12; Pasqualig., *De sacrificio missæ*, t. I, quæst. 248, n. 2.

(44. Quo fit ut pro missis hebdomadæ majoris erit celebranda missa de passione, pro missa Pentecostes votiva de Spiritu sancto, eo quia hæ missæ institutæ principaliter sunt pro illa celebratione, adeoque non congruunt extra occasionem ipsius; Pasqualig., *De sacrific. missæ*, tom. I, quæst. 248, dict. n. 2.

(45. Ex hac autem communi opinione plura sequuntur: (46. 1° quod non possit celebrari missa votiva Assumptionis B. M. Virginis, aut alterius festivitatis, sed celebranda sit votiva posita in Missali juxta congruentiam temporis ibi assignatam. (47. 2° quod si celebranda sit missa votiva Nativitatis Domini, celebrari ea debeat, quæ celebratur infra octavam, et omittenda sint ea quæ non congruunt tempori in quo recitatur, ut esset *Alleluia*, et addendus esset tractus qui esset proportionatus. (48. 3° quod si petatur celebratio missæ votivæ S. Petri, aut S. Pauli, erit celebranda missa votiva apostolorum. (49. 4° quod ubi petitur missa votiva, quæ non debet celebrari; et in Missali non adest votivæ correspon-

dens, celebranda erit quæ currit illo die; Pasqualigo, *loco citato*, n. 5, et plur. seqq.

ARTICULUS XIV.

De observandis pro missis de Requiem, et de missis quas vocant D. Gregorii.

SUMMARIUM.

1. Missæ privatæ de Requiem non possunt celebrari omnibus illis diebus quibus non possunt celebrari missæ votivæ. — 2. Missæ privatæ de Requiem non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum. — 3. Et neque privatæ missæ de Requiem possunt celebrari etiam præsentem et insepulto corpore, in quocunque duplici, vel quacunque die quæ prohibetur fieri officium duplex. — 4. Missa solemnitas de Requiem, præsentem corpore, potest cantari in omnibus Dominicis et festis de præcepto, præterquam in solemnitatibus primæ classis: et triduo majoris hebdomadæ, ac die S. Paschæ prohibentur etiam exsequiæ, et quocunque signum defuncti, sed officium et preces recitantur privatim. — 5. Anniversaria de Requiem, aut de tertia, septima, et trigesima die non possunt in festo de præcepto cani, ne quidem solemniter; bene tamen pro implenda voluntate testatorum in festo duplici, quod non est de præcepto. — 6. Imo, anniversaria et missæ de Requiem, quæ ex dispositione testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies incidit in festum duplex majus; non tamen in festo duplici secundæ classis. — 7. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto, nam in hoc casu prædicta missa erit differenda. — 8. Missæ in festo duplici celebratæ in altari pro animabus perpetuo privilegiatæ, et in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis etiam juxta formam privilegiorum. — 9. Decretum extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiatæ, ac proinde missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrantur, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. — 10. Insuper missæ celebratæ de festo corrente in altari privilegiatis in diebus, quibus non licet missas de Requiem celebrare, habent eandem vim et indulgentias, perinde ac si essent celebratæ missæ defunctorum. — 11. Adducitur ad id constitutio Alexandri VII. — 12. Adducitur ad id constitutio Clementis IX. — 13. Adducitur ad id constitutio Innocentii XI. — 14. Adducitur ad id novissima resolutio sac. congregat. Rit. Urbis et Orbis, specialiter approbata a Clemente XI. — 15. Dies tertia, septima, et trigesima numerantur a die datæ sepulture. — 16. Ante sepulcrum die tertia, septima, et trigesima celebratur missa de die obitus, sive depositionis. — 17. Si dies tertia, septima, trigesima, aut anniversaria incidat in diem prohibitam, potest transferri in diem sequentem. — 18. Imo, si dies prohibita non sit ex magis privilegiatis, et festum de præcepto, ad implendam testatorum voluntatem potest cani missa solemnitas de Requiem die tertia, septima, et trigesima, etiamsi sit festum duplex, non de præcepto. — 19. Et pro anniversariis quotannis adimplendis potest etiam cani in duplici majore. — 20. Missæ in die commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet tam in genere pro omnibus, quam in specie pro aliquibus defunctis. — 21. Durante expositione ss. sacramenti non potest celebrari missa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente testa-

toris, sive anniversario satisfaciendo, licet currat officium hujusmodi missas admittens. — 22. An, quomodo, et quando liceat ministrare eucharistiam in paramentis nigris, et in missis defunctorum, ad n. 23-24. Triginta missæ S. Gregorii unde ortum habuerint, et ob quam causam in devotionem et praxim fidelium devenerint. — 25. Istæ triginta missæ non sunt prohibite, sed solum quædam aliæ pro vivis, et defunctis falso divo Gregorio imputatæ, et a sacra congregatione non approbatæ. — 26. Hæ triginta missæ non est necesse, quod omnes celebrentur ab uno et eodem solo sacerdote. — 27. Nec necesse est quod omnes illæ triginta missæ sint de Requiem. — 28. Requiritur autem quantum fieri potest, ut istæ triginta missæ sint continuæ et non interpolatæ. — 29. Et dato, quod sacerdos ad illas celebrandas obligatus, ex decencia et honestate pro aliqua die vellet missam omittere, sic permitte Ecclesia, tunc posset illas continuare per celebrationem alterius sacerdotis. — 30. Non interpolantur tamen per omissionem celebrationis illis diebus quibus per Ecclesiam vetitum est celebrare. — 31. Cavendum autem est ne hæc continuatio missarum per triginta dies fiat aliquo modo superstitioso, ponendo vim in tali præciso numero, aut in hac vel illa conditione. — 32. In missis defunctorum nequeunt pulsari organa, et alia instrumenta musica. — 33. Pax quare non detur in missis defunctorum. — 34. Adduntur varia decreta usque ad num. 69, — 70. Alia ad rem, ad n. 91.

(1. Missæ privatæ de Requiem non possunt celebrari omnibus illis diebus quibus non possunt celebrari missæ votivæ, cum supra adducta decreta pro missis votivis militent etiam pro missis de Requiem non celebrandis in illis diebus exceptis. (2. Missæ privatæ de Requiem non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum; sac. Rituum congregat. 5 Augusti 1662. (3. Et neque privatæ missæ de Requiem possunt celebrari etiam præsentem et insepulto corpore in quocunque duplici, vel quacunque die, quæ prohibetur fieri officium duplex; sacra Rituum congreg. 10 Junii 1693: et expresse prohibuit sub gravibus pœnis Alexander VII, 5 Augusti 1662, ejus decretum confirmavit et innovavit Clemens XI, 10 Aug. 1706. (4. Missa autem solemnitas præsentem corpore potest cantari in omnibus Dominicis et festis de præcepto, præterquam in duplicibus primæ classis: sacra Rit. congreg. 5 Junii 1698; 23 Augusti 1704; 29 Septembris 1714, 10 decembris 1718, et 11 Augusti 1736. Et triduo majoris hebdomadæ, ac die S. Paschæ prohibentur, etiam exsequiæ et quocunque signum defuncti, sed officium et preces recitantur privatim ex cit. decretis. *Vide* tamen infra in *Supplementis*, ubi varia alia adducuntur ad rem observanda.

(5. Anniversaria de Requiem, aut de tertia, septima, et trigesima die non possunt in festo de præcepto cani, nequidem solemniter; bene tamen pro implenda voluntate testatorum in festo duplici, quod non est de præcepto; sac. Rituum congreg. 7 Sept. 1607 et 20 Junii 1626. (6. Imo anniversaria et missæ de Requiem, quæ, ex dispositione testatorum, cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies incidit in festum duplex majus;